

# MAIUS

Die 3 Maii  
**S. IACOBI APOSTOLI**  
**PRIMI EPISCOPI HIEROSOLYMITANI**  
*Patroni principalis dioecesis patr.*  
 Sollemnitas

*Ant. ad introitum*

**G**audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honore beáti Iacóbi Apóstoli: de cuius sollemnitáte gáudent Angeli, et colláudant Fílum Dei ( *T.P. Allelúa* ).

*Collecta*

Omnípotens sémpiterne Deus,  
 qui nos beáti Iacóbi Apóstoli, primi Hierosolymórum Epíscopi,  
 doctrína illumináre dignátus es,  
 da nobis, ipso interveniénte,  
 ut fidem christiánam verbo et ópere profiténtes,  
 ad civitátem sanctam, Ierúsalem novam, perveníre mereámur.  
 Per Dóminum.

LECTIO PRIOR ( prop. )

« *Iúdico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur* »

Léctio Actuum Apostolórum

15, 1.6. 13-19

In diébus illis:

Quidam descendéntes de Iudaéa docébant fratres: « *Nisi*

circumcidámini secúndum morem Móysis, non potéstis salvi fieri ». Convenerúntque Apóstoli et presbyteri vidére de verbo hoc.

Et postquam tacuérunt, respóndit Iacóbus dicens :

« Viri fratres, audíte me. Simeon narrávit quemádmodum primum Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum Nómíni suo, et huic concórdant verba Prophetárum, sicut scriptum est : *Post haec revértar et reaedificábo tabernáculum David quod décidit, et díruta eius reaedificábo et érigam illud ut requírant réliqui hóminum Dóminum, et omnes gentes super quas invocátum est Nómen meum, dicit Dóminus fáciens haec nota a saéculo. Propter quod ego iúdico non inquietári eos qui ex géntibus convertúntur ad Deum* ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 118, 1-2. 4-2. 15-16 (R.32)

R. Viam mandatórum tuórum curram (*vel* Allelúa).

- 1 Beáti immaculáti in via  
qui ámbulant in lege Dómini.  
Beáti qui servant testimónia eius,  
in toto corde exquirunt eum. R.
- 2 Tu mandásti  
mandáta tua custodíri nimis.  
Utinam dirigántur viæ meæ  
ad custodiéndas iustificatiónes tuas. R.
- 3 In mandátis tuis exercébor  
et considerábo vias tuas.  
In iustificatióibus tuis delectábor  
non obliviscar sermónen tuum. R.

LECTIO SECUNDA (prop.)

« *Ex operibus iustificatur homo* »

Lectio Epístolæ beáti Iacóbi Apóstoli

2, 14-24. 26

Quid próderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre eum?

Si frater aut soror nudi sunt et índigent victu cotidiáno, dicat autem áliquis de vobis illis: « Ite in pace, calefacimini et saturámini », non dedéritis autem eis quæ necessária sunt córporis, quid próderit? Sic et fides, si non hábeat ópera, mórtua est in semetípsa.

Sed dicet quis : « Tu fidem habes et ego ópera hábeo. Osténde mihi fidem tuam sine opéribus, et ego tibi osténdam ex opéribus meis fidem ». Tu credis quóniam unus est Deus ? Bene facis; et daémones credunt et contremíscunt. Vis autem scire, o homo inánis, quóniam fides sine opéribus otiosa est ? Abraham pater noster nonne ex opéribus iustificátus est, offérens Isaac filium suum super altáre ? Vides quóniam fides co-operabátur opéribus illíus et ex opéribus fides consummáta est, et suppléta est Scriptúra dicens : « *Crédidit Abraham Deo, et reputátum est illi ad iustitiam* », et Amícus Dei appellá-tus est. Vidétis quóniam ex opéribus iustificátur homo et non ex fide tantum...

Sicut enim corpus sine spíritu emórtuum est, ita et fides sine opéribus mórtua est.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

R. Allelúa    V. Glória tibi Christe, qui apparuísti Iacóbo.  
R. Allelúa.

EVANGELIUM

« Qui facit voluntatem Patris, intrabit in caelum ».

† Léctio sancti Evangélii secúndum Mattháeum 7, 21. 24-25  
In illo témpore :

Dixit Iesus discípulis suis :

« Non omnis qui dicit mihi: Dómine Dómine, intrábit in Regnum cælórum, sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cælis est.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. Et descéndit pluvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et non cécidit; fundáta enim erat supra petram ».

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Réspice, Dómine, múnera  
quæ tibi in sollemnitáte sancti Iacóbi Apóstoli perhibémus,  
et concéde nobis eius intercessióne,  
ut in fide stábiles, et in ópere efficáces  
semper esse mereámur.

Per Christum.

*Praefatio apostolorum*

- V. Dóminus vobiscum.  
R. Et cum spiritu tuo.  
V. Sursum corda.  
R. Habémus ad Dóminum.  
V. Gratias agámus Dómino Deo nostro  
R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,  
nos tibi semper et ubique grátias ágere :

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætére Deus :  
per Christum Dóminum nostrum.

Quóniam Ecclésiam tuam  
in apostólicis tribuísti consistere fundaméntis,  
ut signum sanctitátis tuæ in terris manéret ipsa perpétuum,  
et cælestia præbéret cunctis homínibus documénta.

Quapropter nunc et usque in sæculum  
cum omni militia Angelórum  
devóta tibi mente concínimus,  
clamántes atque dicéntes :

Sanctus . . .

*Ant. ad communionem*

Mt 7, 21

Non omnis qui dicit mihi: Dómine Dómine, intrábit in Regnum cælórum, sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cælis est ( T.P. Allelúa ).

*Post communionem*

Reficiat nos, Dómine, panis cælestis,  
quem in sancti Iacóbi sollémnitate suscépimus,  
ut et fídei donum íntegrum custodiámus  
et bonis opéribus abundémur.  
Per Christum.